

Calamitas matris non debet nocere ei, qui in ventre est, *l. 5. §. 2. ff. de stat. hom.* quia delicta duntaxat tenere debent suos autores, non verò alios, ut foetum mulieris delinquentis innocentem; ideò etiam prægnantis mulieris supplicium differtur, donec pariat; nec quæstio sive tortura de tali delinquente habenda est prius, ne innocens partus injustè simul puniatur. *l. 3. ff. de pœn.*

Calculi error est error in computationibus factus. Veteres enim rationibus supputandis utebantur calculis.

Calumniatores in jure sunt, qui per fraudem & frustrationem alios vexant litibus, *l. 233. ff. de verb. signif. §. l. 1. ff. de calumniat.* In causis criminalibus is dicitur calumniator, qui sciens dolo malo falsum crimen intendit *l. 1. §. 1. ff. ad Sct. Turpil.* qui meritò pœnam talionis patitur, vel infamiam incurrit *l. 7. §. l. fin. C. de calumn.* olim lege Memmia calumniatorum frontibus litera K, ceu ignominia nota inurebatur *l. 1. §. 2. ff. de his, qui not. infam.* ut alii exemplo admonerentur, ne idem lingvæ vitium temerè sequerentur, quod tamen ob hominum malitiam præcaveri nequit, cum lingvæ nihil sit inaccessum. Non sunt immunes à criminationibus Principes terræ, quos extra ferri metum collocavit potentia: nec viri sanctitate conspicui, quos censura subduxit innocentia. Ipse Christus, cum inter homines degeret, lingvæ flagellum non evasit. Ad horum exempla Christianus meritò patientiam suam erigere debet. Stimulus quidam virtutis est obrectatio & frænum, ne à recto virtutis tramite deviet Christianus. Nullus capitalior vitiorum hostis, quàm censura. Cum quis perperam de te loquitur, doceris, quid caveas. Vis malitiosos venenatæ lingvæ morsus cautè evadere, contemne eos, in quantum fama tua honestè permittit. Nullum vulnus habebis, si tacueris, plus tribuens bonorum judicio, quàm criminantis insolentiæ, ne ab insipientium sermone dependere videaris.

Capitula sive Collegia Canoniorum (juxta canones Ecclesiæ viventium) ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus Christianis eo præprimis sine sunt instituta, ut in iis religio Christiana conservaretur, religionisque Christianæ, artiumque liberalium studia, tanquàm in Sacrariis deposita, perpetuò exstantia vigerent, & ut pii fundatores, eorumque successores ad hæc collegia, tanquam ad Pythonis oraculum, in omnibus causis & casibus dubiis confugere pos-

pos-